



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

Theodosius Manichæos ab orbe relegari iubet. Manichæi solem ac lunam pro numine colunt.

agentes, suamque hæresim exteriori actu detestati, interius Manichæi esse perseverarunt: ne detegerentur, catholicorum ecclesiam frequentantes, cum iisdem sacram eucharistiam participarunt. Iure igitur meritoque deprehensi, exilio mulctati, vel si pœnitentiam agerent, ad participandam sacram eucharistiam in fine vitæ dumtaxat admissi fuerunt. Ad instantiam Siricii pontificis, illud Theodosii imperatoris rescriptum lib. 18. de hæret. Cod. Theod. extans, promulgatum fuisse probabile est; quo prædictæ hæreseos sectarii, non ab vrbe tatum, verum etiam ab vniuerso orbe relegari mandantur. Cum in honorem solis ac lunæ die dominico & feria secunda ieiunarent, solemque velut numen colentes, ad orientem conuersi superstitiose adorarent, idemque etiam pie ac sancte catholici facerent, atque adeo nullo indicio a Manichæis catholici & orthodoxi discerni possent, sanctus Leo I. hunc orandi ritum ad tempus suspendit, ne quid fideli populo cum hæreticis commune esset, sed potius hoc indicio apertissime discernerentur. Baron. anno 445. num. 4. & 5.

• EPISTOLA I.
SIRICII PAPÆ
AD HIMERIVM TARRACONENSEM.

- | | |
|---|---|
| I. De Arianis non rebaptizandis. | X. De his, qui grandavi ad sacram militiam conuertuntur. |
| II. Ut præterquam in Pascha & Pentecoste, nisi in necessitate & periculo, baptismum non celebretur. | XI. De clericis, qui ad secundas nuptias transeunt, vt deponantur. |
| III. De apostatis ab ecclesia separandis. | XII. Quæ femina cum clericis debeant habitare. |
| IV. Quod non liceat, alterius sponsam alteri in matrimonii iura accipere. | XIII. De monachorum promotione ad clerum. |
| V. De his qui post pœnitentiam vel militia cingulum, vel noua coniugia, vel illicitos appetierunt concubitus. | XIV. Quod pœnitens non fiat clericus. Vel sic: De clericis, vt pœnitentiam per impositionem manus sacerdotis non accipiant. |
| VI. De monachis & sacris virginibus, propositum non seruantibus. | XV. De pœnitentibus, vel digamis, vel viduarum maritis, vt non permittantur ad ordinem clericatus admitti. Vel sic: Vt si per ignorantiam, vel pœnitens, vel digamus, vel vidua maritus, clerici facti fuerint, non promoveantur. |
| VII. De sacerdotum vel Levitarum incontinentia. | |
| VIII. De admittendis ad clerum. | |
| IX. De clericorum conuersatione. | |

Siricus